





23

5

1764

1e

DE

ORIGINE EPISCOPORVM

EORVMQVE

IN ECCLESIA PRIMITIVA

I V R E

EXERCITATIO

P. AIA.

QVA

LECTIONES SVAS

IN

ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA


INDICIT

IOANNES FRIDERICVS GRVNER

SS. THEOLOGIAE P. P. O.

SOCIETATVM, QVAE IENAE FLORENT, TEVTONICAE

ET LATINAE MEMBRVM HONORARIVM.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

LITTERIS GRVNERTIANIS, MDCCCLXIV.

196



ORIGINI EPISCOPIUM

TURONENSIS

IN ECCLESIA PARISIENSIS

LITTE

EXTRACTIO

LECTIOES SVAS

LOANNES BAPTISTUS GUYOT

1782

LOANNES BAPTISTUS GUYOT

PARISIENSIS

SECRETARIUS

1782



PARISIENSIS






DE  
ORIGINE EPISCOPORVM  
EORVMQVE  
IN ECCLESIA PRIMITIVA  
IURE  
EXERCITATIO.

---

§. I.

 Cum multae res in antiquitatibus Christianis nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum difficilis et perobscura quaestio est de origine Episcoporum, illorumque in ecclesia primitiva iure; quae et ad cognoscendum non inuicunda est, et ad statuum de legitima regiminis ecclesiastici forma omnino necessaria. Quem enim fugiunt pertinacissimae ea de re concertationes, parum aetate magna animorum contentione inter duas factiones agitatae; quarum altera Episcopis, altera autem Presbyterorum collegiis diuino iure

IV DE ORIGINE EPISCOPORVM

iure permisam esse ecclesiarum gubernationem, fidenter affirmabat <sup>a</sup>). Neque tamen defuerunt, uiri graues et prudentes, qui utramque partem studio et cupiditate uincendi abreptam modum in decertando nonnumquam excedere uiderent; ponderibusque argumentorum, quibus pugnabatur, examinatis, Presbyteros censerent esse omnino Episcopis antiquiores, caeterum parum uel nihil interesse, utrum Episcopi an Presbyteri ecclesiae praeponebantur, quod nihil ea de re iure diuino definitum esset <sup>b</sup>. Sed plenior in praesentia controuersiae eius historiam condere non magis in animo nobis est; quam argumenta, quibus suam quaeque pars ornare sententiam studeat, copiose recensere, aut operose singula ad examen reuocare. Potius de quaestione ipsa, quae diu multumque exercuit doctorum hominum ingenia, quid uideatur, exponere ita conabimur; ut non solum in originem Episcoporum inquiramus probabiliter; sed ut de iuribus quoque illorum in ecclesia primitiua monumentorum ueterum fide disputemus.

§. II.

Ipsum *Episcopi* nomen Apostolorum aetate Presbyteris omnibus commune fuisse; in dubium uocari uix potest. Nam qui apud *LVCAM in Aflis* <sup>c</sup>) ecclesiae Ephesiae Presbyteri dicuntur; ii ipsi paullo inferius <sup>d</sup>) appellantur *Episcopi*. PAVLLVS uero sub initium *Epistolae*

a) Eorum, qui Episcopis fauent, argumenta exponuntur in DIONYS. PETAVII de Hierarchie Eccles. Lib. V. qui cum Tom IV. Dogmatum Theologorum. editi sunt, et in HENR. HAMMONDI Dissert. IV. quibus Episcopatus iura ex S. Scripturis et primaeua antiquitate adstruuntur contra sentent. Dau. Blondelli et alior. Lond. 1651. 4. Presbyterianorum causam egerunt WAL. MESSALINVS, siue CLAVD. SALMASIVS, Dissert. de Episcopis et Presbyteris contra Petauium, Lugd. Bat. 1641. 8. et DAV. BLONDELLVS, Apolog. pro sentent. Hieronymi de Episcopis et Presbyteris, Amstel. 1646. 4. alios utriusque partis scriptores silentio iam praetero.

b) Vide H. GROTIUM, de Imperio Summar. Potestati. circa Sacra, Cap. XI. §. I. p. m. 339. SAM. BOCHARTVM, Epist. qua responderit ad tres quaestiones, caet. p. 6. sq. et lege, quae de hac causa inter FRID. SPANHEMIVM et IO. VAN DER WAYEN disputata sunt, in FRIDER. SPANHEMII Miscellan. Sacrae Antiquit. Lib. VIII. Opp. Tom. II. p. 1034. sqq.

c) Cap. XX. Segm. 17.

d) Ibid. 28.

*Epistolae*, quam ad *Philippenses* scripsit, *Episcopis* ecclesiae illius et *Diaconis* salutem dicit: ubi *Episcoporum* nomine aperte *Presbyteros* significat. Idem *PAVLLVS* alibi <sup>e)</sup> *Presbyteri* et *Episcopi* appellationibus promiscue utitur. Haec autem videntur sufficere posse ad coarguendos illos, qui *Episcopum* ipso nominis honore a primis inde rei Christianae temporibus distingui a *Presbyteris* consuevisse, conatu maiore, quam successu, disputant. Neque enim honorem ecclesiasticum aliquem ea appellatio denotauit olim, sed *Presbyterorum* numeris rationem declarauit <sup>f)</sup>. Hoc *PAVLLI* ad ecclesiae Ephesiae *Presbyteros* oratio aperte docet; qui *Episcopus* uocauit eos, quod *attendere* ad ecclesiam dei deberent, curae ipsorum permisam <sup>g)</sup>.

## §. III.

Nimirum primis Christiani nominis temporibus suum *Presbyter* quisque *ποιμνιον*, siue coetum, quem *παροικίαν* quoque non male dixeris, separatim regebat: qui autem coetus, ubi confociari inter se cooperant, unius *καθολικῆς ἐκκλησίας* <sup>h)</sup> partes erant. Quod ut recte intelligatur, duo disputanda nobis diligentius sunt: *primum*, fuisse in urbibus praesertim maioribus plures Christianorum minores coetus: *deinde*, coetus eos a primis inde temporibus aliqua certe confociatione inter se iunctos fuisse.

## §. IV.

Igitur unius saepe urbis, maioris praesertim, Christianos diuisos in *παροικίας*, siue coetus minores plures fuisse, non res ipsa *solum*, et temporum illorum ratio suadet; *sed* idem ex codice etiam sacro *N. T.* non obscure intelligitur. Vtrumque hoc cura paullo maiore declarabimus.

A 3

## §. V.

e) *Epist. ad Th.* I. 5. et 7.

f) *Episcopi* uocabulum *inspectorem* quemuis denotasse olim, disputant *IO. CASP. SVICERVS*, *Theol. Eccles. Tom. I. p. 1178.* sq. et *CAMPÉG. VI. TRINGA*, *de Synag. Ver. Lib. III. Parr. I. Cap. III. p. m. 640.* sq.

g) *Act. XX. 28.* Προϊχετε ὄν ἰαντοῖς, καὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ἡμεῖς τὸ πνεῦμα τοῦ ἁγίου ἔπειτο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ.

h) Id est, unius ecclesiae communis, oriundae ex confociatione coetuum minorum plurium. Dicemus de hac appellatione plura inferius.

VI DE ORIGINE EPISCOPORVM

§. V.

Prioris generis argumenta haec sunt. Primo in pterisque urbibus non ab uno aliquo, sed a pluribus siue Apostolis, siue apostolicis uiris, coetus Christo colligebantur<sup>i)</sup>; quorum quemque condita labore suo ecclesiae Presbyterum dedisse, dubio carere uideretur<sup>h)</sup>. Immo si Apostolus aliquis, uel Christianae doctrinae praeco alius, maiorem una in urbe hominum numerum ad caelestis ueritatis agnitionem perduxerat, quam quidem conuenire sacrorum causa unum in locum tuto poterat; plures in coetus sub Presbyteris singulis diuidi ille numerus debebat.

Erenim, quod secundo loco ponimus, Christianis priscis metu hostium nominis ipsorum publice congregari ad obeunda sacra integrum non erat. Priuatorum igitur in aedes clam coibant. Tam uero consentaneum est, unum priuatae domus conclave non sufficisse magnae frequentiae. Ad hoc hominum, metu hostium clam coeuntium, maiorem numerum continere unum in locum absque praesentissimo periculo haud potuisse, facile quis inuelliget.

Denique ipse Christianorum maioris alicuius urbis numerus poscebat, ut in plures minores coetus diuideretur; qui singuli Episcopum, siue Presbyterum suum proprium haberent. Cogita tibi tria, quatuor, quinque, uel plura etiam hominum millia, quae in nullos minores coetus sub Presbyteris singulis diuisa sint: quaeso, qua ratione consulere omnibus ac singulis, et prospicere fatis doctores poterunt; plures licet, sed communes, dederis?

§. VI.

- i) Sic *Act. XI. 9. sq.* legimus ex iis, qui post necem Stephani magna calamitate afflicti Hierosolymis disceserant, Antiochiam nonnullos uenisse, qui Iudaeis solis euangelium de Iesu Christo nunciarent: adiisse eam urbem item alios, qui Graecos etiam saluari doctrina imbuerent. Corinthiorum in urbe Paulus Christo familiam collegerat; quem post eum Apollo quidam, Iudaeus Alexandrinus, idem faceret. Et forte ante iam Aquila, Iudaeus, religionem Christi eadem in urbe docuerat. Ad hoc Petrum quoque, uel discipulorum certe ipsius aliquem, Corinthum adiisse, eiusque urbis incolarum partem doctrinae caelestis lumine collustrasse, inter doctos constat. Vide *Act. XVIII. 1. seq. XIX. 1. et ad b. 10. I. A. V. R. MOSHEMIVM, in dem I. Haupttheile der Einleit. zu der Erklær. des I. Briefes Pauli an die Gem. zu Corinthus, p. 26. sq.*
- h) Vide infra, §. VIII. not. r).



## §. VI.

Sequitur, ut sacri codicis loca apponamus, ex quibus maiorum urbium ecclesias coetus minores habuisse plures, colligitur.

De Christianis Hierosolymitanis LVCAS narrat 1): κατ' ἡμέραν προσκατεροῦντες ἑμοθυμαδὸν, ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον μετελαμβάνον τροφῆς ἐν ἀγγαλλιάσει, καὶ εὐφελότητι καρδίας. Aderant nimirum Christiani illi in templo cum Iudaeis; ubi populum Apostoli publice docebant. Sed, quod metu Iudaeorum palam facere ipsis non licebat, sacram coenam et agapas <sup>m)</sup> celebrabant κατ' οἶκον, per domos; id est, in domibus priuatorum, in quibus ad obcunda sacra congregari consueverant <sup>n)</sup>. Iam uero quum eius generis conuentus, nisi sub doctore aliquo publico, siue Presbytero <sup>o)</sup>, fieri non potuerint; palam erit, ecclesiam Hierosolymitanam in minores coetus, siue παροικίας; plures diuisam fuisse; quorum coetuum singuli sub Presbyteris singulis congregari in locum unum et certum consueverint. Atque de huius generis locis idem LVCAS loquitur, scribens de Apostolis P): πᾶσάν τε ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ κατ' οἶκον, οὐκ ἐπαύοντο διδάσκοντες, καὶ εὐαγγελιζόμενοι Ἰησοῦν Χριστῷ. In templo doctrinam de Iesu Christo publice exponebant Apostoli, quo Iudaeos ad salutarem Messiae cognitionem perducerent: eos autem, qui sacris Christianis iam initiati erant, docebant κατ' οἶκον, in domibus; ubi coetus eorum singuli, sub Presbytero quisque suo, conuenerant, cultumque diuinum ea ratione celebra-

1) Act. II. 46.

m) Loquendi formam κλῶνται τὸν ἄρτον, illustrant IO. VORSTIUS, de Hebraism, N. T. Part. alt. Cap. XXXVII. p. 30. sqq. beneque p. 251. obseruauit, LVCAS in uerbis de sacrae coenae uitu intelligendam esse. Ad agenda tamen agaparum celebratio est, quae antecedere solebat. Vid. Act. II. 42. XX. 7. 16.

n) Vide omnino CAMP. VITRING. de Synag. Vet. Lib. I. Part. III. Cap. I. p. 430. sqq. et IO. LAVR. MOSHEM. Commentar. de Reb. Christianor. ante Constantin. M. Saec. I. §. XXXVII. not. (\*\*\*) p. 16. sq.

o) Nam et si eo tempore, de quo LVCAS loquitur, Apostoli Hierosolymis essent; illi tamen, ut doctores ecclesiae extraordinarii, ordinariorum doctorum munere non fungebantur; sed Presbyteros creauerant, qui coetibus praesent. Vid. Act. XI. 30. XV. 4. caet.

p) Act. V. 42.

VIII DE ORIGINE EPISCOPORVM IO

bant, quam LVCAE distincte exponit *Act. II. 42.* Porro huc pertinent, quae de Saulo idem scriptor refert q): *Σαῦλος δὲ ἐλυμνήσθη τὴν ἐκκλησίαν, κατὰ τοὺς οἴκους ἐισπορευόμενος, σὺν τοῖς Ἰουδαῖοις καὶ γυναικῶσι παρέδιδου εἰς Φυλακὴν.* Nam hunc quoque locum IO. LAVR. MOSHEMUS \*) non sine ratione censuit de domibus intelligendum esse, ubi coere sacrorum causa minores ecclesiae Hierosolymitanæ coetus confecerint; bene monens, parum esse probabile, licuisse Saulo Hierosolymis, ubi dominabantur Romani, ciues quietos domibus suis extrahere. Adde huic interpretationi fauere uoculam *κατὰ*. Nisi enim τῆς ἐκκλησίας οἴκους in mente LVCAE habuisset, uideretur scripturus fuisse *εἰς τοὺς οἴκους*.

Antiochiæ Christianorum coetus minores plures fuisse, ecclesiae eius origines persuadent. Ex Christianis Hierosolymitanis, post necem Stephani dispersis, Antiochiam nonnulli adierant, qui Iudaeos solos doctrina de Iesu Christo instruebant: paulo post accedebant item alii, qui Graecorum quoque animis caelestem ueritatem non minore cum successu infillabant. Ita uero magnus hominum numerus

q) *Act. VIII. 3.*

r) *Commentar. de Reb. Christianor. ante Constantin. M. Saec. I. §. XXXVII. not. (\*\*\*) p. 17.*

s) *Vid. Act. XI. 19. 26.* Editur ibi in libris uulgatis: *οἱ τῶν ἐπιειθόντων εἰς Ἀντιόχειαν ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἕλληνας.* Sed *Ἕλληνας* agnoscunt, monente IO. IAC. WETSTENIO in splendida illa codicis N. T. editione, Codd. MSS. Alexandr. et Cantabrig. a prima manu, Versio *Vulg. Syr. Cop. Arab. Aethiop.* EUSEB. *Hist. Eccl. II. 3.* CHRYSOST. OECUMEN. probante I. CLERICO, H. GROTIUS, I. A. BENGLIUS in *Quom. I. VSSERIO*, I. COCCHEIO, T. BEZA, I. DRVSIO. Sed IO. GERHARDVS in *Not. ad b. l. p. m. 381.* uulgatam lectionem defendit, eo maxime argumento, quod BRIAN. WALTONVS ne unius quidem Codicis MS. mentionem faciat, in quo *Ἕλληνας* hic legatur. Atqui habemus iam Codd. in quibus ea lectio reperitur. IO. CHRISTO. WOLFIUS quidem in *Curis Philol. et Crit. ad b. l. p. 164.* receptam lectionem *Ἕλληνας* itidem defendere conatur, atque aduersus HERM. WITSIVM, *Meletem. Leidens. p. m. 27.* disputans, addit: „Equidem non perspicio, cur per *Ἕλληνας* Graecos Genitiles hic omnino intelligere debeamus, nec potius, qui, ortu quidem „ Genitiles, sacra Iudaeorum profelytorum instar complexi sint. „ Sed de Graecis intelligenda omnino LVCAE uerba esse, et lectionem *Ἕλληνας* uulgatae illi *Ἕλληνας* praeferrī debere, ista euincere uidentur. 1) Nusquam

merus Christo colligebatur <sup>1)</sup>. Magnus autem hominum numerus, ut supra vidimus, unum eundemque in locum coire iis temporibus ad sacra non poterat. Igitur Christiani illi Antiocheni dispertiri in coetus minores plures debebant. Ad hoc Christianos ex Iudaeis oriundos omnem ea aetate cum illis, qui ex gentibus aliis ad Christianam religionem accesserant, coniunctionem defugisse, notum est <sup>2)</sup>. Illos igitur cum his Antiochenis in urbe agapas et sacra reliqua communia habuisse putabimus?

De ecclesia Ephesia docet nos PAVLLI ad ecclesiae eius Presbyteros oratio <sup>3)</sup>: οὐδὲν ὑπεσπείλαμην τῶν συμφερόντων, τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν καὶ διδάξαι ὑμᾶς δημοσίᾳ, καὶ κατ' οἴκους. Quid κατ' οἴκους sit, supra declarauimus. Quod autem Paulus dicit, se Ephesios non publice solum et in populi concionibus docuisse, sed priorum etiam in domibus, ubi congregari ad sacra Christiani consueuerant; illud quidem indicio nobis esse potest, ecclesiam illam in coetus minores plures diuisam fuisse.

Christia-

quam sacro in codice Ἰουδαῖοι et Ἕλληνας inter se opponuntur: saepe autem Ἰουδαῖοι et Ἕλληνας, ut *Act. XIV. 1. XVIII. 4. XIX. 10. XX. 21. ad Rom. III. 9. X. 12. 1. ad Cor. I. 24. X. 32. XII. 13. ad Gal. III. 28. ad Col. III. 11. 2) Nulla certe ratio apparet, quare Christiani illi Hierosolymitani, de quibus LVCAS loquitur, euangelium de Iesu Christo nunciare *Hellenis*, siue Profelytis, dubitauerint. Etsi enim illi errorem Iudaeis communem, Messiam nihil ad Graecos pertinere, non dimittant; idem tamen de Profelytis sensisse, dici non possunt, quum Profelyti iure sacrorum inter Iudaeos non caruerint. Quodsi uero lectionem alteram, Ἕλληνας, sequamur, plana erunt omnia. <sup>3)</sup> Illos, qui Antiochiae praeter Iudaeos religionem Christianam receperant, non fuisse Profelytos, sed ex profanorum potius numero, plane sit manifestum ex *Act. XV. 1. 5. 7. seqq.* in primis 23. ubi dicitur ἀλλοφῶσι οἱ ἐξ Ἰσραὴλ. Bene igitur DAN. ARCVLARIUS, *Comment. ad Act. XI. 20. p. m. 269.* IO. CAN. LENAENS, *Commentar. ad b. l. p. m. 81. PHIL. A LIMBORCH, Commentar. ad b. l. p. m. 114.* sq. alii, uerba LVCAS de hominibus religionis profanae interpretati sunt. Sed monendum erat, Ἕλληνας legendum ibi esse, non Ἕλληνιστάς. Vide etiam, quae de hoc LVCAS loco monuit Vir Celeberrimus, Fautor, Amicus, atque Collega maxime uenerandus, D. IO. SAI. SEMLER, in *den Beitrægen zu genauerer Einsicht des Briefes an die Hebræer*, p. 49. 50.*

1) *Act. XI. 21.*

2) Vide *Act. XI. 1. seqq. ad Gal. II. 11. seqq.*

3) *Act. XX. 20.*

Christianorum Romanorum *παροικίας* plures fuisse, ex D. PAVLLI ad eos *Epistola* discimus. Nam quod ibi γ) ecclesiae in domo Aquilae, item fratrum et sanctorum, qui sint apud Asynceritum, Philogontem, Hermam, Patrobam, Hermen, Philologum, Nereum, Olympam, mentio fit; de totidem minoribus ecclesiis intelligi debet, quarum viros illos, quorum superius posita nomina sunt, (Aquilam tamen excipio) Presbyteros fuisse, non improbabilis HERM. WITSII 2) coniectura est.

Idem de Christianis, qui Corinthum incolebant, non temere suspicor. Verius enim videtur, ea, quae in D. PAVLLI ad Romanos *Epistola* a) legimus; ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Χριστοῦ. de minoribus Christianorum coetibus, qui Corinthi erant, ex qua urbe dedisic epistolam illam Paullus creditur, interpretari b); quam de omnibus, quae in Graecia erant, ecclesiis; quod uulgo, sed minore cum veri specie fieri solet.

Apud Colosenses etiam plures Christianorum *παροικίας* fuisse, quae singulae sub Presbyteri alicuius cura egerint, ex PAVLLI ad Philemonem *Epistola* colligitur. Ibi enim Παῦλος - καὶ Τιμόθεος - Φιλήμονι, τῷ ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ ἡμῶν - καὶ Αρχιππῷ τῷ συστρωτῷ ἡμῶν, καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ. Admodum autem uerisimilis uidetur eorum iententia, qui Philemonem hunc ecclesiae, in domo ipsius congregari solitae, Presbyterum, Archippum uero eius Diaconum fuisse uolunt. Praetermitto ecclesiam in domo Nymphae, cuius in *Epistola ad Colosenses* mentio fit; quum dubium esse uideatur, utrum Nymphas ille inter Colosenses, an inter Laodicenses nixerit.

Sed in ecclesia Thesalonicensi idem obtinuisse, nisi concedamus, obscura erunt nobis PAVLLI uerba in *prima ad Thesalonicenses*

γ) Cap. XVI. §. 14. 15.

2) Præf. de Vita Pauli Apost. Sect. IX. §. XIII. Meierem. Leidens. p. m. 104. Atque ita etiam b. IOACH. LANGIUS, Comment. de Vita et Epp. Apost. Pauli, Sect. II. Cap. IV. §. XXII.

a) Cap. XVI. Segm. 16.

b) Idem uideo in mentem uenisse b. IO. CHRISTO. WOLFIO, Cur. Philolog. et Crit. ad b. I. p. 291. et b. SIEGM. IAC. BAUMGARTENIO, in der Ausl. des Br. Pauli an die Roemer, p. 809.

ses Epistola <sup>c)</sup>, quibus eam epistolam suam iubet ἀναγνώσθαι πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς ἀεικδοῖς. Non audiendi sunt, qui per omnes fratres sanctos non Thesalonicenses solum Christianos intelligi censent; sed eos etiam, qui in Macedonia et vicinis Asiae locis degebant. Melius omnino, qui de foliis Thesalonicensibus exponunt. Tamen huic etiam interpretationi, ut planiora fiant omnia, addendum est; uelle Paulum epistolam suam in singulis Thesalonicensium Christianorum παρομιᾶς recitari.

## §. VII.

Vento ad id, quod secundo loco probaturum esse, supra promisi: unius urbis coetus, siue παρομιᾶς, ab Apostolorum inde aetate aliquo certe modo inter se sociatas fuisse. Ordinar ab ecclesia Hierosolymitana; quae omnium sine dubio princeps fuit. Huius igitur ecclesiae παρομιᾶς ab ipsis initiis suis sub Apostolorum supremo praefidio certa aliqua confociatione inter se iunctas fuisse, ista suadent. Nemo erat ex Christianis illis paullo locupletior, qui, ubi egestas inopum posceret, partem bonorum suorum non uenderet, atque pecuniam inde redactam ad Apostolorum pedes in communes usus deponeret <sup>d)</sup>. Quum Hellenistae quererent de iniuria uicinis suis illata ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καὶ ἰουδαίῳ, Apostoli singulos ecclesiae eius coetus conuocabant: atque hi septem uiros deligebant, aerarii ecclesiastici administratos, eosque Apostolis sistebant, ut manibus impositis inaugurarant <sup>e)</sup>. Vbi fama de propagatione euangelii apud Antiochenes ad Christianos Hierosolymitanos peruenerat, illi eius rei causa Barnabam communi nomine delegabant <sup>f)</sup>. Denique ecclesia Antiochena, a falsis Apostolis perturbata, quum legatos ad Hierosolymitanam mitteret, Apostoli et Presbyteri cum delectis ex coetibus singulis uiris conueniebant, atque ad quaestionem propositam totius ecclesiae nomine

B 2

c) Cap. V. Sequ. 27.

d) Act. IV. 32. sqq. De uera natura communionis bonorum in eccles. Hierosolym. b. IO. LAUR. MOSHEMII Dissert. legitur Vol. II. Dissert. eius ad H. E. pertinent.

e) Act. VI. 1. sqq. uide omnino MOSHEM. Commentar. de Reb. Christianor. ante Constantin. M. p. 118. sq.

f) Act. XI. 22.

mine respondebant s). Haec uero omnia satis indicant, ecclesiae illius *παρομις* communi quodam confociationis vinculo inter se coniunctas fuisse.

De ecclesia Antiochena simile quid ex iis colligere licet, quae LVCAS in *Actis Apostolorum* narrat. Barnabas et Saulus, redeuntes ex itinere, conuocabant ecclesiam (i. e. uel Presbyteros coetuum, uel coetus ipsos singulos) et nunciabant, quae per ipsos deus inter gentes effecerat h). Et quum eius ecclesiae parti, illi nimirum, quae deorum cultu relicto ad Christum accesserat, Pseudopostoli molesti essent, Paullus et Barnabas totius ecclesiae nomine Hierosolymam misi sunt i).

De ecclesiis in orbe reliquis indicio esse possunt Paulinae epistolae, non ad unum aliquem, aut ad aliquot unius urbis minores coetus misit, sed ad Christianos earum urbium cunctos. Quod facere Apostolus uix potuisse uideatur; nisi coetus illi unius urbis omnes quodam modo in ecclesiam unam coisissent. Possem ex iisdem epistolis argumenta alia colligere; sed omitto facere, quia nolo longus esse. Vnum tamen addo, quoniam ad intelligendum perdifficilem locum facit, qui diu torfit interpretum ingenia. Sub initium epistolae ad Corinthios prioris PAVLLVS salutem dicit τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ, τῇ εὐσχη ἐν Κορίνθῳ, ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, κλητοῖς ἁγίοις, σὺν πάνσι τοῖς ἐπιμαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν. In iis igitur uerbis expedita erunt omnia, si cogitemus, Paullum misisse epistolam ad coetus Corinthiorum cunctos, eos etiam, qui a caeteris, et catholica ecclesia difcessionem fecerant, id est, schismaticos k). Vbi uero uerbis, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ, τῇ εὐσχη ἐν Κορίνθῳ, uniuersam, quae Corinthi erat, ecclesiam appellauerat; iam sigillatim salutem dicit ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, κλητοῖς ἁγίοις, qui sunt illi coetus, qui a ueritate euangelica non difcesserant. Addit, σὺν πάνσι τοῖς ἐπιμαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν,

g) *Act. XV. 1. sqq.* Lege TO. LAUR. MOSHEM, *Commentar. de Reb. Christi. ante Constantin.* M. p. 117. 19.

h) *Act. XIV. 27.*

i) *Act. XV. 1. 2. 3. 30.*

k) Vide i. ad *Corinth. I. 10. sqq.*

ἡ μὲν, cum omnibus, qui nomen domini nostri Iesu Christi religiose colunt, in quocunque demum id conuentuum loco fiat, sine ipsorum proprio aliquo, sine nostro: quibus quidem uerbis schismaticos non obscure a catholicis distingui, planum esse videtur. Sed hoc ipsum, quod eo tempore in Corinthiorum ecclesia obtinebat, schisma probat omnino, coetus eorum quodam modo inter se iunctos ante fuisse. Neque enim schisma cogitari ullum potest; nisi unius urbis *παρουσίας* ad unam catholicam ecclesiam confociatae ante fuerint. Atque ex hac unius urbis coetuum ad unum quasi corpus confociatione τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας et τῶν καθολικῶν, quibus οἱ χρισματικοὶ καὶ αἰρετικοὶ opponuntur, appellationes ortas esse, non temere suspicor 1).

## § VIII.

Eam uero coetuum unius urbis confociationem eo diligentius commendarunt, atque adiuuare studuerunt Apostoli; quod probe intelligebant, sine illa rem Christianam saluam esse non posse. Ecclesia est corpus Christi; ipse ecclesiae caput m): Christiani autem singuli corporis eius membra sunt n). Iam uero totius corporis alicuius, omniumque eius partium salus matris membrorum officiis continetur. Hoc est, quare ipse Iesus Christus amorem mutuum insigne quasi, et notam discipulorum suorum esse uoluit o). Amor autem mutuus animorum coniunctione nititur; quae absque externa quadam

B 3

coetuum

D) De harum appellationum origine licebit hic coniecturam qualemcunque adscribere. Τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας nomen uidetur ex coetuum unius urbis minorum confociatione ortum esse, quasi dicas ἡ καθ' ὅλην τὴν πόλιν ἐκκλησία. Hanc in sententiam ἡ ἐν Σμύρῃ καθολικὴ ἐκκλησία legitur in Epistola ecclesiae Smyrnenensis de martyrio Polycarpi, apud EUSEB. Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. 15. & Vol. II. Opp. Parr. Apostolic. p. m. 201. Ab hac catholica ecclesia discessionem qui facerent, quum dicerentur schismatici atque haeretici; ii, qui in eius communione manerent, dicei catholici, καθολικοὶ αἰρετικοὶ. Inde ecclesia catholica pro orthodoxa; et catholici iidem, qui orthodoxi. Denique καθολικὴ ἐκκλησία illa etiam, quae est καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην. Exempla harum significationum dabit IO. CASP. SVICERVS, in Ehes. Eccles. Tom. II. p. 14.

m) Ad Ephes. I. 22, 23.

n) I. ad Cor. XII. 13, 14, 27.

o) IOAN. XIII. 34, 35.

XIV DE ORIGINE EPISCOPORVM

coetuum Christianorum confociatione obtineri eo minus poterat, quo magis ii, qui ex Iudaeis religionem Christianam secuti erant, amicam cum caeteris, qui ex gentibus profanis oriundi ueritati caelesti locum dederant, communionem defugere solebant. Atque hoc tale est, ut a nemine, nisi ab iis forte, qui rerum humanarum imperiti plane sunt, posse negari uideatur. Accedebat ratio alia, satis iidem grauis. Coetus res sibi separatim habentes, fallacis τῶν μεταισόθρων et ψευδοπροφητῶν, quorum non exiguus numerus apostolorum iam aetate erat, multo magis patebant, quam confociatione inter se coniuncti. Pauci ea aetate inter Christianos erant, qui eximia, tamque accurata rerum diuinarum cognitione gauderent, ut aduersus fraudes eorum, qui in errorem inducere ipsos conarentur, satis uideri armari possent. Ipsi coetuum doctores non ita omnes sine intelligentiae uis, siue auctoritatis pondere ualebant, ut lupos gregi inhiantes propulsare satis ac propellere possent. Hoc uel Romanorum, Corinthiorum, Galatarum exempla nos docent; quos aut doctorum uigilantia a μεταισόθρων erroribus defendere non ualuerat, aut quorundam forte infirmitas secum in fraudem deduxerat. Et licet Apostoli collectis labore suo coetibus Presbyteros, qui institutione, consiliis, et monitis regerent, magna cum cura et diligentia praeficerent; tamen hac prouidentia sua saepe ne pericula quidem quotidie impendentia auertere poterant; nedum quae post excessum suum praesentiebant futura esse. Horum igitur malorum remedium magis efficax excogitari non poterat, quam eius generis inter coetus unius urbis confociatio; quae doctores coetuum illorum ad unum aliquod collegium, coetus autem ipsos quasi ad ecclesiam unam καθολικὴν coniungeret. Ita enim spes certa erat, fore, ut Presbyteri ad melius regendum quisque coetuum suum consiliis mutuis alter alterum adiuuarent; ecclesia autem felicius

p) Vid. ad Colos. II. 8. 1. ad Tim. VI. 20. 21. ad Tit. I. 10. u. 1. Ep. 10 AN, IV. 3. 4.

q) Lege quae hanc in rem disputauit 10. LÄVR. MOSHEMIVS, *Instit. Hist. Christ. Maior. Saec. I. Part. II. Cap. III. §. VIII. p. 238. sq.*

r) Vid. Act. XIV. 23. ad Tit. I. 5. CLEM. ROM. Ep. I. ad Corinth. Segm. XLII. p. m. 171. Tom. I Opp. SS. Part. qui temporib. Apost. flor. ed. alt. 10. CLERICI et Segm. XLIV. p. 173.

s) Vide Act. XX. 29.



eius prohiberetur ab errorum periculis; atque oriunda ex errorum sparsione schismata certius praecaverentur.

## §. IX.

Vbi autem unius urbis coetus per confociationem illam in unam καθολικὴν ἐκκλησίαν quasi coaluissent, praefide aliquo opus erat, qui ea, quae ad omnium salutem pertinerent, procuraret. Penes Apostolos, quam diu uiuerent, supremam ecclesiarum curam fuisse, non est, quod dubitemus. Hoc enim ex D. Pauli inprimis epistolis effici argumentis haud leuibus potest: et ex ablegatione Timothei, Titi, Tychici, aliorumque, ad ecclesias; rebusque ab ipsis ibi administratis facili negotio intelligitur <sup>t</sup>). Quum uero neque Apostoli, neque eorum, ut ita dicam, amanuenses in una urbe assidue morari possent; eos Presbyterorum unum substituisse, qui, ipsis certe absentibus, totius ecclesiae salutem auctoritate prae caeteris maiore curaret, admodum probabile est <sup>u</sup>). Apostolis deinde e uita abeuntibus, Presbyterum, qui coetuum confociatorum unius urbis gubernationem uicario haecenus nomine administrauerat, pleno iam iure in eam Apostolorum curam successisse <sup>x</sup>) ut credamus, res ipsa suadere uidetur; et argumenta alia, haud contemnenda, confirmant.

## §. X.

t) Vide *Actor.* XIX. 22. *II ad Cor.* VII. 15. 17. *ad Philipp.* II. 19. *sqq.* I. *ad Thess.* III. 6. *sq.* I. *ad Tim.* I. 3. II. 8. *sqq.* III. 1. *sqq.* IV. 11. *sqq.* V. 1. *sqq.* VI. 1. 2. II. *ad Tim.* II. 14. IV. 2. 5. *ad Tit.* I. 5. 13. II. 1. *sqq.* Quae ex his locis pro causa nostra colligi possunt, longam foret copiose hic ostendere.

u) Valde uerisimilis uidetur eorum interpretatio, qui per *σὺλῶγο* Pauli, *ad Philipp.* IV. 3. doctorem ecclesiae Philippensium principem intelligunt, uid. 10. CHRISTO. WOLFF *Chr. Philol. ex Crit. ad h. l. p. 261. sq.* Ita autem haberemus Apostoli in gubernanda ecclesia illa uicarium.

x) Inde uero intelligitur, in quantum ualere possunt, quae scripsit FRID. SPANHEMUS, *Miscellan. Sacrae Antiquit. Lib. III. Diss. I. §. XVIII. Opp. Tom. II p. 297.* » Recte dixeris, Episcopos successisse Apostolis in iis, quae ordinarii muneris; sic primum deinceps in Ecclesia locum, quem ante Apostoli, eosdem occupasse; item, quod singulis Apostolorum, uel collegio Apostolico, id omnibus postea Episcopis coniunctim credendum fuisse; » τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν, totius Ecclesiae curam, seu τὴν οἰκουμένην, ut loquuntur ueteres.

## §. X.

Ita quidem est: aperta et plane perspicua huius rei testimonia antiquis in monumentis nusquam leguntur. Quodsi autem fumamus etiam, Apostolos de ecclesiae post excessum suum regimine praecepisse nihil, sed liberrimae ecclesiarum uoluntati cuncta permisisse; tamen, si cogitare omnia diligentius uelimus, sentiemus maxime, ipsam omnino necessitatem flagitasse, ut unus ex Presbyterorum collegio designaretur, qui maiore prae reliquis auctoritate res ad ecclesiasticam communitatem pertinentes gubernaret. Ecclesias autem ad id munus alium aliquem designaturas fuisse putabimus, quam eum, cui Apostoli ipsi uicariam curam uiui delegauerant? Sed nemini forte uideri uerisimile poterit, Apostolos de re tanti momenti, et qua, quod supra diligentius disputauimus, magna ecclesiarum salutis pars continebatur, nihil omnino sanxisse <sup>y)</sup>. Sunt potius, quae perpetuos illos ecclesiarum praesides, quibus *Episcoporum* nomen proprium subinde factum est, ab ipsis Apostolis constitutos esse, credere nos iubeant. Ita enim nisi esset, ratio certe probabilis reddi nulla posset, quare post excessum statim Apostolorum praeter Presbyteros ubique fere Episcopi iam ecclesias gubernauerint. Legi hic cum fructu poterunt s. IGNATIJI Epistolae: sed breuiores illae, et non interpolatae: quarum fidem tanto conatu impugnatuos quosdam ex iis, qui Presbyteriani dici solent, non fuisse crediderim, si animum ad earum lectionem partium studio uacuum attulissent. Ad hoc accedunt catalogi Episcoporum apud IRENAEVM, EVSEBIVM, SOCRATEM, et alios <sup>z)</sup>, quibus Episcoporum aliquot in ecclesiis successio ab Apostolorum inde temporibus continetur. De his autem non dubito H. GROTIJ uerba <sup>a)</sup> mea facere: „Tantis auctoribus, atque ita inter se consentientibus  
 „ fidem derogare in re historica, non est nisi irreuerentis et pertinacis  
 „ animi. Perinde enim id est, quasi neges uerum esse, quod omnes  
 „ tradunt Romanorum historiae, Consulatum coepisse ab exactis Tar-  
 „ quiniis. „

## §. XI.

y) Est locus CLEMENTIS ROM. in *Epist. I. ad Corinth. Segm. XLIV.* qui Apostolos harum rerum non incuriosos fuisse, satis probat.

z) Vide IOSEPHI BINGHAMI *Orig. sive Antiquit. Eccles. Lib. II. Cap. I. §. III. Vol. I. p. 59. §. IV. p. 60. 149.*

a) *De Imperio Summar. Potest. circa Sacra, Cap. XI. §. 5. p. m. 247.*

## §. XI.

Neque vero catalogorum illorum fidei detrahare aliquid illud potest, quod iis, quae Apostolorum aetatem proxime secuta sunt, temporibus *Episcopi* appellatio maioris alicuius ecclesiasticae dignitatis insignie nondum fuit: quippe quo nomine Presbyteros omnes tunc etiam promiscue appellari consuevisse negari nequit. Vehementer quidem urgere hoc solent, qui Presbyteriani dicuntur; quo Presbyterorum in ecclesia primitiua aequalitatem, et parem honoris gradum probent: sed tot scriptorum ueterum locis, quae in partes suas trahunt, minime efficiunt, quod quaerunt. Potuit enim Presbyter unus totius ecclesiae alicuius salutem auctoritate prae caeteris maiore curare; sed eodem, quo reliqui, nomine appellari. Atque hoc primis illis Christiani nominis temporibus ita omnino fuisse; hominesque pietatem magis, quam honorum titulos colentes, totius ecclesiae alicuius antistitem uoluisse auctoritatis potius pondere, quam nominis honore prae Presbyteris caeteris conspicuum esse, uel ex eo intelligi potest, quod CLEMENS ALEXANDRINVS, cuius aetate inter *Episcopum* et *Presbyteros* notabile discrimen fuisse, extra dubitationem positum est, et qui aliquot locis *Episcopos* a *Presbyteris* distinguit <sup>b)</sup>, alibi tamen *Presbyterorum* nomine *Episcopos* quoque complectitur <sup>c)</sup>. Hoc nimirum esse nobis indicio potest, ne CLEMENTIS quidem ALEXANDRINI aetate nominis honorem totius ecclesiae antistiti ita proprium fuisse, ut nulla cum doctoribus reliquis communi appellatione umquam designaretur. Neque uero Episcopus definebat *Presbyter* esse; etsi suprema illi totius ecclesiae alicuius cura demandata esset: et Presbyter *Episcopi* munere fangebatur, si antiqua significatione uocem illam accipias; quippe qui minoris alicuius Christianorum coetus, siue *παροικίας, ἐπισκοπήν, inspectionem*, gerebat. Inde uero iudicent lectores, num ex CLEMENTIS ROMANI <sup>d)</sup> aliorumque scriptorum ueterum uerbis, ubi *Episcoporum* tantum et *Diaconorum* mentionem illi faciunt, colligi tuto possit, eorum aetate Presbyteros omnes inter se prorsus aequales fuisse.

## C

## §. XII.

- b) Vt *Stromar. Lib. VI. Cap. XIII. p. m. 793. ed. 10. POTTERI, Paedag. Lib. III. Cap. XII. p. 309.*  
 c) *Stromar. Lib. VII. Cap. I. p. 830. cum POTTERI annotatione.*  
 d) *Epist. I. ad Corinth. Sect. XLII. p. m. 171. sq. Sect. XLIV. p. 173.*

XVIII DE ORIGINE EPISCOPORVM

§. XII.

Illud maiore iure ex testimoniis ueterum, quae magno studio FLONDELLVS e) collegit, cogimus: totius ecclesiae alicuius praesidem non statim post Apostolorum aetatem *Episcopi* nomine distingui ubique aut semper a caeteris Presbyteris consueuisse: neque tantum dignitate atque amplitudine eminuisse olim inter Presbyteros reliquos; quantum antecessisse persuadere illi conantur, qui tales nobis praescae ecclesiae *Episcopos* fingunt, quales apud Pontificios hodie et Anglos uidemus. Ad nomen quod attinet, sunt qui suspicari non dubitent, totius ecclesiae alicuius antistitem *Angeli* nomine a Presbyteris distingui consueuisse ante, quam *Episcopi* appellatione decoraretur f): quorum quidem coniecturam probare non possum. Est enim *Angelos ecclesiarum*, quorum a IOANNE in *Apocalypsi* g) mentio fit, de eius generis Presbyteris, quibus *Episcoporum* deinde nomen peculiare factum est, recte intelligi h), lubens concedam: nolui tamen affirmare, communem ea aetate, et usu tritam fuisse appellationem illam. Eius enim rei uestigium aliud nusquam apparet: ea autem, quae CAMPEG. VITRINGA i) ad nominis huius declarationem ex synagoga Iudaicae institutis affert, parum huc pertinere uidentur. Magis uerum, totius ecclesiae alicuius praesidem antiquitus nullo peculiari dignitatis nomine distingui a Presbyteris caeteris consueuisse; donec *Episcopi* appellatio soli haeserit. Id autem quando fieri coeperit, definiri non potest: neque tamen aut repente, aut eodem omnibus in ecclesiis tempore et simul factum esse, probabile uidetur. IGNATIUS epistolae legentibus dubium esse nequit, ea aetate, qua scriptae sunt, in Asiae ecclesiis antistitem a Presbyteris reliquis *Episcopi* nomi-  
ne

e) *Apolog. pro sentent. Hieron. de Episc. et Presbyt. Sect. II. p. 8. sqq.*

f) Ita H. GROTIUS, de Imperio Summar. Potestatz. circa Sacra, Cap. XL. §. 7. p. m. 349. sq. CAMP. VITRINGA, de Synag. Ver. Lib. III. Part. II. Cap. III. p. m. 90. sq. IO. LAUR. MOSHEMIVS, Commentar. de Reb. Christianor. ante Constantin. M. Saec. I. §. XLJ. not. (\*\*\*) p. 133. Vide etiam DIONYS. PETAVIVM, Dissertatz. Eccles. Lib. I. Cap. II. p. 172. de Hierarch. Eccles. Lib. I. Cap. II. §. XV. IOSEPH. BINGHAMVM, Orig. suae Antiquit. Eccles. Lib. II. Cap. I. §. XI. Vol. I. p. 82. sq.

g) Capp. II. et III.

h) Vide IAC. VSSERIVM de Orig. Episcopor. p. m. s. 544.

i) l.c.

ne distinctum fuisse: sed idem hoc aliis quoque in regionibus, et ubique obtinuisse, quis inde affirmabit? Caeterum Presbyterorum collegii, totiusque ecclesiae confociatae praesidem *Episcopi* nomine in aliis ecclesiis maturius, in aliis autem serius distingui a caeteris doctoribus coepisse, ad rem ipsam nihil facit. Sufficit enim, ecclesias ex coetibus minoribus pluribus compositas defendi a disidiis, et oriundis inde malis absque eius modi anfractibus haud potuisse. Neque abit longe *HIERONYMVS*, cuius uerba Presbyterianorum sententiae minus fauent, quam *BLONDELVS* <sup>k</sup>, quidem opinatus est. Ille uero: „ Idem est *Presbyter* „ qui et *Episcopus*: et antequam diaboli instinctu studia in religione „ fierent, et diceretur in populis, *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae*, „ communi Presbyterorum consilio ecclesiae gubernantur. Postquam uero unusquisque eos, quos baptizauerat, suos „ putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est; ut unus de „ Presbyteris electus superponeretur caeteris; ad quem omnis ecclesiae „ curae pertineret, et schismatum semina tollerentur. „ Non inepte: nisi quod non intelligo, qua ratione *communi Presbyterorum consilio ecclesiae gubernari* potuerint absque aliquo praeside. Quodsi autem, quod nemo negabit, Presbyterorum, communi consilio gubernantium ecclesias, collegium consistere absque praeside aliquo non potuit; habebimus antistitem illum, cui subinde *Episcopi* nomen proprium factum est, maturius, quam quidem *BLONDELVS*, et qui cum ipso seuriunt, opinantur.

## §. XIII

Caeterum respondere iam ad quaestionem poterimus diu multumque agitatam; Episcoporum ordo num iure diuino nitatur. Quodsi ad ius diuinum requiras clarum atque apertum aliquod dei praecceptum; tale quid de Episcopis nusquam reperies. Sin omnia, quae decorus rerum humanarum ordo, et societatis salus publica poscit, ad ius diuinum suo modo referas; poteris episcopalem in ecclesia dignitatem, qualem praesca illam tempora receperant, eodem iure dicere a

C 2

deo

k) *Apolog. pro sentent. Hieron. de Episc. et Presbyr.*  
1, *Commentar. in Ep. ad Tit. Cap. 1.*

deo constitutam esse, quo Apostolus de magistratu politico scripsit <sup>m)</sup>:  
*αι εἰς αὐτὴν ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν.*

## §. XIV.

Supereft, ut de dignitate et iure antiftitis, cui *Episcopi* nomen haefit, quam uerissime poterimus, exponamus. Vidimus confociationem coetuum unius urbis confiftere non potuisse sine communi aliquo praefide, qui Presbyterorum in unum iam collegium coetuum caput esfer; eaque, quae communis *καθολικῆς ἐκκλησίας* falus postulabat, curaret. Hoc fontem quasi continet, ex quo omnis potestas, et iura cuncta antiftitis eius, qui *Episcopus* deinde *κατ' ἐξοχὴν* dici coepit, fluxerunt. Licebit igitur iam inde consecraria deducere.

I. Antiftes *τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας* unius urbis non definebat Presbyter esse. Aequae igitur, ac reliqui Presbyteri suam propriam *παροικίαν*, siue coetum curabat: in hoc uno Presbyteris caeteris honoratior, quod, ut collegii Presbyterorum caput, non suo solum coetui, sed *παροικίας* cunctis quodam modo praefidebat. Inde autem intelligere possumus, quare prifcorum temporum simplicitas illum collegii Presbyterorum praefidem peculiari aliquo nomine a Presbyteris reliquis distinguere, uti supra vidimus, non putauerit necesse esse <sup>n)</sup>: HIERONYMVS uero qua ratione de sua etiam aetate scribere potuerit <sup>o)</sup>: „Excepta ordinatione, quid facit Episcopus, quod „ Presbyter non facit?

II. Sed quam Presbyteri, qui finguli *παροικίας*, siue coetibus fingulis praepofiti erant, in unum collegium sub antiftite uno coirent; iam ea etiam, quae ad fingulorum coetuum sacra pertinebant, Presbyterorum fingulorum arbitrio unice permiffa esse ulterius non poterant. Debebat enim nihil inuito Epifcopo, et collegio fieri. Nimirum aliunde norum est, asfesores collegii alicuius nihil posse statuere, nisi in conuentu. Inde est, quod apud IGNATIUM legimus <sup>p)</sup>:

*Μηδεὶς*

<sup>m)</sup> *Ad Rom. XIII. 1.*

<sup>n)</sup> Epifcopos cum Presbyteris unum constituisse olim collegium, eiusdemque ordinis fuisse, doctè difputat CAMPEG. VITRINGA, *de Synag. Ver. Lib. III. Part. I. Cap. XVI. p. 844. fqq.*

<sup>o)</sup> *Epist. ad Euaq.*

<sup>p)</sup> *Epist. ad Smyrn. §. VIII. p. m. 36. Vol. II. Opp. Patr. Apostol.*

Μηδεις χωρις τῶ ἐπισκόπου 4) τι πρᾶσσει τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Quod Episcopum nominat, Presbyterium, non excludit: de qua re inferius dicemus plura. Qualia autem sint τὰ ἀνήκοντα εἰς τὴν ἐκκλησίαν ipse declarat IGNATIVS, addens statim: ἐκεῖνη βεβαία εὐχαριστία ἡ γείσθω 1), ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ἢ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ 2): ὅπου ἂν Φανὴ ὁ ἐπίσκοπος 3), ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω ὡς περ ὅπου ἂν ἦ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία σὺν ἕξόν ἐσὶν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίσειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν 4). ἀλλ' ὁ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τούτο καὶ τῷ Θεῷ εὐάρεστον 5): ἵνα ἀσφαλὲς ἦ καὶ βέβαιον πᾶν ὃ πρᾶσσεται. Presbyteriani quidem affirmare non dubitant; „primo omnes Presbyteros fuisse ἀποστολικούς, neque ullum supra se agnouisse, cum omnes ex ordine ad primum uten-

C 3

,, rint,

q) *Clam Episcopum.* ἀνε γνώμης αὐτοῦ, ut loquitur Noster *Epist. ad Polycarp.* §. IV. p. m. 40.

r) *Interpres uerit,* Rata eucharistia habeatur illa, caet. Malim, firma, minime suspecta, cui fidere tuto possis. Opponitur τῇ εὐχαριστίᾳ schismaticorum et haeticorum, cui fides haberi non debet.

s) *Quam uel ipse Episcopus celebrat; uel is, cui illē concesserit.* Ea autem concessione opus non erat ad actus singulos. Sufficiebat enim, Episcopum concessisse semel, quum Presbyterum ordinaret; neque postea inhibuisse.

t) *Interpres; Vbi comparauerit Episcopus.* Non omnino apte. Sed fateor, IGNATIVI mentem uno uerbo declarari satis non posse. Id uult: τὸ πλῆθος, multitudinem, non doctorem quemuis sequi, aut in conuenticulis quibuscunque comparere debere; sed ibi tantum, ubi nihil χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου fieri, appareat. Hoc manifestum fit ex sequentibus; ubi καθολικὴ ἐκκλησία opponitur conuenticulis schismaticorum.

u) Haec illustrantur iis, quae supra, not. s.) dicta sunt.

x) *Videri IGNATIVS* nimium tribuere his uerbis Episcopo potest. Sed non uidebitur, si diligentius omnia, uti decet, considerauerimus. Christiani eius aetatis plurimi pii quidem, sed rudiores erant. Facile igitur patebant fraudibus haeticorum et schismaticorum. Itaque ut sanam in rebus diuinis sententiam sequerentur semper, ad Episcopum ita respiciendum erat, ut, quod ille probaret, ipsi uerum iudicarent. Episcopi autem, qui ea aetate erant, aut ab Apostolis ipsis, aut a uiris apostolicis docti et probati, de haereticis suspecti esse, uix poterant. Unde de iis IGNATIVS *Epist. ad Ephes.* §. III. p. m. 12. *εἰ ἐπίσκοποι εἰ κατὰ τὰ πέρατα οὐρεθίντες εἰς Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμην εἰσὶν.* *Interpres:* ex Iesu Christi sunt sententia. Non ita bene, quum IGNATIVS uelit, omnino eos cum Iesu Christo sentire. Lege, quae antecedunt ibi, et quae sequuntur.

„rint, qui primatus *προεδεῖν* tantum dederit in eodem ordine non „ potestatem maiorem y). Sed hos auctoritatem Episcopi nimis deprimere, uel *collegii* alicuius notio docet. Neque enim cogitari aliquid collegium potest; nisi adsit *κεφαλὴ*, maiore prae aulesforibus reliquis auctoritate cuncta dirigens.

III. Tamen non ita imminutum erat ea coetuum et doctorum consociatione ius Presbyterorum, quam quidem uolunt Episcopales. Sine Presbyterorum enim collegio facere aliquid Episcopo non licebat. Immo erant, quae nisi consensu et adficiente populo, agi non debebant. Atque ita facere Apostoli iam instituerant. Ipsi enim septem illos diaconos designare z), aut controuersiam de legis Mosai- cae ualere dirimere soli, nolebant a). Longum foret, quae ex D. AVLLI epistolis huc facientia colligi possent, hic iam adscribere b). IGNATIUS uero in epistolis ubiuis fere Episcopum et Presbyterium coniungit c); ut appareat, Episcopum et Presbyterorum collegium coniunctum ecclesias gubernasse. IDEM Polycarpum hortatur, cogat concilium, *συμβούλιον*, quo aliquis *θεόδομος* eligatur d): illud autem *συμβούλιον* sine dubio praeter Presbyteros habuit etiam delectos ex populo e). Et quale Presbyterorum collegii in regenda tota ecclesia ius prius temporibus fuisse putabimus; quum de CYPRIANI aetate ex ipsius uerbis constet, scribentis f): „Ad id uero, quod „ scripserunt mihi Compresbyteri nostri, Donatus et Nouatus, et „ Curdus, solus rescribere nihil potui, quum a primordio episco- „ patus

y) Sunt uerba SVICERI, *Theor. Eccles. Tom. I. p. 1180*. Similia habet BLONDELLVS, *Apolog. caet. p. 8. et in Praefat. p. 5. sq.*

z) *Act. VI. 1. sqq.*

a) *Act. XV.*

b) Vide 2. *ad Cor. I. 24. VIII. 8. 10.*

c) *Ad Ephes. §. II. p. 12. §. XX. p. 16. ad Magnes. §. II. p. 18. §. VII. p. 19. ad Trallian. §. VII. p. 23. §. XIII. p. 25. ad Philadelph. §. VII. p. 32. ad Smyrn. §. VIII. p. 36. ad Polycarp. §. VI. p. 41.*

d) *Epist. ad Polycarp. §. VII. p. 42.* Illustrauit hunc locum docta *commentatione de ΔΕΟΔΩΜΟΙΣ uet. ecclesiae legatis*, s. V. ERDM. RYD. FISCHERVS, Coburgi edit. 1718. 8.

e) Vide IS. VOSSIVM *ad cit. Ignat. locum*, et S. V. FISCHERVM, *l. c. Cap. VI. §. XXII. p. 162. sq.*

f) *Epist. III. 10.* Plura huius uiri testimonia collegit BLONDELLVS, in *Apolog. caet. p. 41. sq.*



DE ORVMQ. IN ECCLES. PRIMIT. IVRE XXIII

„ patus mei statuerim nihil sine consilio uestro, et sine consensu ple-  
 „ bis, mea priuatum sententia gerere., HIERONYMVS autem e):  
 „ Episcopi nouerint, se magis consuetudine, quam dispositionis do-  
 „ minicæ ueritate Presbyteris esse maiores, et in commune debere  
 „ ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet solum præ-  
 „ esse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum  
 „ iudicaret.,

§. XV.

Ex iis, quæ hactenus disputauimus, satis apparere putamus, ne-  
 que Presbyteros in primitiua ecclesia prorsus *ἀνεπίσκοποι* fuisse, quod  
 Presbyteriani affirmant; neque tamen Episcoporum tantam primis  
 temporibus potestatem fuisse, quantum tribuere ipsis ii solent, qui  
 illorum ordinem ualere in ecclesia omni ex parte et perpetuo debere,  
 asserunt. Vbi autem sæculo secundo, non multo post Hadriani  
 tempora, opinio inualuit, Episcopos in Pontificis Iudæorum Maximi,  
 Presbyteros in Sacerdotum, Diaconos in Leuitarum locum succes-  
 sisse; id commentum, uti Clericis reliquis, ita præcipue Episcopis  
 augendorum uarie iurium suorum occasionem dedit. Magis etiam  
 creuit Episcoporum potentia ex eo tempore, quo Imperatores, qui  
 iam ipsi ad Christi sacra accesserant, ciuitatem Christianam ad rei pu-  
 blicæ ciuilibus formam studiose componere coeperant. Tamen tolera-  
 bilia hæc uidebuntur, si cum iis temporibus comparare uelis, quibus  
 Clericorum ditescendi dominandique libido Principum, nescio pietate  
 dicam, an superstitione mirum in modum abusa est.

Sed hæc copiosius disputare locus hic non patitur. Iam signi-  
 ficandum illud est, cuius causa qualemcunque hanc descriptionem in-  
 stitui. Placuit AVGVSTISSIMO et POTENTISSIMO  
 REGI, DOMINO meo longe INDVLGENTISSIMO, ad  
 Professoris Theologiæ ordinarii munus in hanc celeberrimam acade-  
 miam SVAM clementissime me euocare. Quod quidem quam præ-  
 ter omne meritum meum euenerit, uti probe sentio; ita tantam  
 REGIS MAXIMI gratiam, qua possum, animi submissione pie ue-  
 neror, omni tempore in eo unice elaboraturus, ut muneris clemen-  
 tissime mihi demandati partes pro iurium modulo sustinere bono cum  
 Deo

\*) Commentar. in Epist. ad Tit. Cap. I.

Deo ita studeam, ut fidem certe, diligentiam atque industriam desiderari in me nunquam patiar. Eum animum meum, academiae huic, eiusque Civium Ornatisimorum commodis plane deuotum, ne uerbis tantum ostendere uidear; conabor re et opere, quantum quidem praesentis temporis ratio permittit, declarare. Igitur, quod Deus ter Optimus Maximus felix faustumque esse iubeat, nouum munus *praedlectionibus exegeticis in epistolam PAVLLI Apostoli ad Romanos* auspicabor. Quo quidem in labore ita uersari studebo, ut sensu uerborum legitime indagato, uia Auditoribus Lectissimis ad rerum, quae diuino illo libro continentur, intelligentiam muniatur; memor magni olim uiri, PHIL. MELANCHTHONIS effati, „non posse „ scripturam intelligi theologicæ, nisi intellecta ante sit grammaticæ.“ Neque uero iis deero, qui *disputandi exercitio* acere ingenium uelint. Faxit Deus, ut his meis, tenuibus licet, conatibus nominis ipsius gloria illustretur! Scribebam in Regia Fridericiana,  
a. d. xxi. m. Nouembris, c1810ccclxiv.



ULB Halle

3

002.612.240



SB





23 5 1764 1e

DE

# ORIGINE EPISCOPORVM

EORVMQVE

## IN ECCLESIA PRIMITIVA

### IVRE

### EXERCITATIO

P. 414.

QVA

### LECTIONES SVAS

IN

### ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA

INDICIT

### IOANNES FRIDERICVS GRVNER

SS. THEOLOGIAE P. P. O.

SOCIETATVM, QVAE IENAE FLORENT, TEVTONICAE

ET LATINAE MEMBRVM HONORARIVM.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

LITTERIS GRVNERTIANIS. MDCCCLXIV.

